



Off. 59. 4.





20

DE  
VERA SIGNIFICATIONE  
VOCIS קְהִלָּה IN QVIBVS DAM  
S. SCRIPTVRAE LOCIS  
OCCVRRENTE

PRAEFATVS

MAGNIFICVM ACADEMIAE RECTOREM,  
ILLVSTRISSIMOS COMITES, DIRECTOREM  
PERILLVSTREM, REGIAE VIADRINAE PATRES  
CONSCRIPTOS, PROCERES VTRIVSQVE REIPV-  
BLICAE AMPLISSIMOS, VENERANDOS SACRO-  
RVM ADMINISTROS, COMMILITONES GENE-  
ROSISSIMOS ATQVE PRAENOBILISSI-  
MOS, QVOTQVOT DENIQUE LITTERIS  
CVPIVNT

AD  
ORATIONEM IN AVGVRALEM  
D. VIII. NOVEMBR. MDCCLII. HOR. X.  
IN AUDITORIO MAIORI  
BENEVOLE AVDIENDAM

EA QVA' PAR EST OBSERVANTIA  
INVITAT

IOANNES ISAACVS LUDOVICVS CAVSSE  
S. S. THEOLOGIAE D. ET P. P. E.

FRANCOFVRTI AD VIADRVM,  
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI, ACAD. REG. TYPOGR.





Haud mirum est, in libro perantiquo, qui  
euentuum a nostris temporibus longe re-  
motorum compendiosam delineationem  
complectitur, sermone vero nobis non pe-  
nitus perspecto, figuris, tropis, orationis colore, quae  
orientale coelum et exoticum temperamentum sapient,  
conscriptus est, non mirum est, inquam, in eiusmodi  
libro quaedam obscura, nonnulla inter se pugnantia  
nobis videri.

Quid? quod longe mirabilius esset, si tali in scripto,  
primo et fugitivo oculorum coniectu illud intuentibus  
nihil non planum ac perspicuum esset.

Attente enim perpendentem, quam variae, quam  
perplexae sint humanarum actionum circumstantiae.

vel ut rectius dicam, inuolucra, quam multa denique nos plerumque lateant, quae ad exactam verborum, rerum gestarum, personarum, locorum, temporum, consuetudinum et morum notitiam pertinent, non magnopere offendent, quae in Sacris Litteris subinde occurunt apparentes contradictiones.

Iniquum profecto esset obscuritatis vel sententiarum discrepaniae maculam Sacris Scriptoribus inurere, quae unice tribuenda est lectoris inficitiae, quam facile parit distantia locorum temporumque intercapedo.

Unicum nunc exemplum, idque attentione non prouersus indignum, ex Galliae Historia desumtum, protulisse sufficiet, ex quo patebit, quantopere circumstantiarum ignoratio, qua facta posteritati tradenda saepenumero obnubilantur, ad procreandas apparentes contradictiones atque interpretum crues facere possit.

Quis quæso Gallicæ Historiae peritus, hodie fidem non habebit *Thuano* Scriptori egregio referenti Hist. lib. XV, *Henricum II.* Galliae Regem obiisse anno MDLIX? Vereor tamen ne olim graues super hac epocha inter chronologos orientur rixae, quia post obitum *Henrici II.*, regnante *Francisco II.*, atque etiam sub initium imperii *Caroli IX.*, deficientibus forte tum nouis typis monetilibus, nummi effigie *Henrici II.* ulterius signati fuere (a). Cum igitur extent numini aurei et argentei, *Henrici II.* nomen et imaginem referentes, in quibus exprimitur numerus anni MDLXI, quanquam Rex ille vere mortuus sit anno MDLIX, non defore putem aliquando Var-

ro-

(a) Vid. M. le Blanc, *Traité Historique des Monnoies de France.*

rones, quibus secus sentiendi ansam praebebunt hi num-  
mi, si forte ad ipsos peruerterint. Hinc apud posteros  
non exiguum oriri posse difficultatem nemo non videt.

Docet illa obseruatio quantopere versantibus in re-  
gno critico diffidendum sit eiusmodi contradictionum  
laruis, licet hae nonnunquam illecebrosa verisimilitudi-  
nis specie superbiant.

Fieri itaque potest, ut quae hodie obscura et cum  
aliis notionibus pugnare nobis videntur, eo quo eue-  
nerunt tempore, ne umbram quidem difficultatis alicuius  
prae se ferrent, quia scilicet tunc plurimae circum-  
stantiae, quae ad recte intelligendam eiusmodi euen-  
tus narrationem egregie conferunt, palam omnium  
oculis obuersabantur, nunc vero obliuione immersae,  
tenebrisque plus quam cimmeriis obiectae jacent. Caete-  
roquin non est quod mireris, quasdam subinde circum-  
stantias euentuum a nostra aetate longe distantium  
nos fugere, cum non raro rerum sub oculis nostris  
gestarum veras ignoremus rationes.

Quo autem diligentius Philologiae, Antiquita-  
tum, Historiae eiusque comitum Chronologiae et Geo-  
graphiae studia excoluntur, eo feliciori cum successu ex  
Sacro Codice contradictionum, dubiorum atque diffi-  
culturum eliminantur phantasmat, quae alias Sacrarum  
Litterarum interpretes in eiusmodi studiis minus ver-  
satos valde torquent.

Non ultimam τῶν ἐντιοφάνων causam quoque ef-  
fe arbitror rhetorices et linguarum, quibus libri pri-  
mum scripti sunt, ignoratio. Abundat quaevis natio-  
variis schematum, troporum, figurarum et dicendi ele-

A 3

gan-

gantiarum formulis, quae omnia perspecta habere debet quicunque illius scripta distinete intelligere cupit. Nam et si omnium gentium idem est specie intellectus, idem de iisdem rebus, si modo recte eo utantur, iudicium; de iisdem tamen rebus, in quibus idem est Palæstinae incolarum et Germanorum rationis judicium, aliter hi, aliter illi solent φαντάζεσθαι, quia aliud est Orientis populorum, aliud Aquiloni subiectarum gentium temperamentum et coelum, quae duo imaginatricem facultatem, prout varia sunt, varie etiam mouent. Quos in unum similis ratio conciliat, eosdem inter se dissimilis facultas characteristic separat (b). Omnes praeterea linguae suas peculiares habent επιφέρεις, quae nisi probe et diligenter excutiantur, cum obscuritas tum contrarietas facile oritur.

Hanc

(b) Docet omnium seculorum experientia, genium hominum pro regionibus variis, quas incolunt, diversum esse. Arabes verbi gratia iam olim sapientia celebres fuere, inter hos ipsos vero eminebant hac laude Themanaz; unde Ieremias XLIX. 7. ait: *An nulla est amplius sapientia in Theman? Sic Galilea oriundi barbari præ caeteris Judaeis censebantur. Athenis, inquit Cicero, in libr. de falso, tenui coelum, ex quo acutiores etiam putantur, crassum Thebis.* Hinc Horatius:

*Bocotum in crasso jurares aere natum.*

pari modo de Abderitanis Martialis:

*Abderitanæ peitora plebis habet.*

Attentione digna sunt quae hoc de argumento passim disoutantur in libro nuperrime edito, cui nomen est: *l'esprit des nations.* Sic auctor huius libri cap. II. lib. I. differit. *Le climat est pour une nation la cause fondamentale*

le

Hanc contradictionum apparentium causam,  
quantum prolusionis huius cancelli, institutique  
mei ratio permittent, exemplo ex II. Sam. VIII. 18.  
pe-

le de son genie, en y ajoutant celles qui lui sont subordonnees  
dans le mème genre, comme la qualité du sang, la nature  
des alimens, la qualité des eaux et des vegetaux. etc. Idem au-  
tor libro V.cap. II. p. 113. de Orientalium eloquentia di-  
sputans, sequentem in modum sententiam suam expo-  
nit. Cette eloquence a des rapports marqués avec les orga-  
nes de ces peuples. Ils reçoivent des impressions très vives  
des objets les moins considerables, et persuadent autant par  
l'exterieur et l'impression sensible, que par l'evidence des  
raisons. Le mouvement des esprits et du sang dispose d'une  
maniere prompte et vive tout leur corps a exprimer les pen-  
sées. C'est la l'origine de cette vivacité de geste et d'expres-  
sion des orientaux et des poètes, qui sont des Levantins au  
milieu de l'Europe, et qui tous ont l'avantage de plaire et  
de persuader en formant des images brillantes des objets.  
Un discours est debité dans le Nord d'une maniere froide,  
tandis que le predicateur Italien se promene dans sa chaire,  
et precipite souvent sa voix d'une octave a une autre. Hisce  
tandem addo quae de genio nationum diuerso leguntur  
in Dissert. des moeurs, des coutumes, de l'industrie, des pro-  
grès de l'esprit humain dans les arts et dans les sciences.  
pag. 396. de l'Hist. de l'Academie Royale de Berlin,  
de l'année 1748. La politesse, l'industrie et tous les arts ont  
pris un gout de terroir dans les differens païs ou ils ont été  
transplantés, qu'ils ont recus du caractere indeuble de chaque  
nation. Ceci se fera sentir davantage si Vous lisés des ouvrâ-  
ges erits à Padouë, à Londres, ou à Paris; Ils se distingue-  
ront sans peine, quand même les auteurs y traiteroient  
la même matiere; je n'en excepte que la plus sublime Géo-  
metrie.

petito (c) illustrare conabor, quo constabit exactiore textus sacri inuestigatione, res, quae inter se pugnare uidentur, saepenumero conciliari.

Quis quaeso, cui genuina significatio vocis פָּנָס non perspecta est, ea, quae adducto loco de filiis Dauidis narrantur, prout illa a Latino interprete, B. Lutheru (d., Munstero, Aria Montano et Strigelio translata sunt, cum aliis evidentibus Sacrae Scripturae notionibus conciliabit? Legimus in VERSIONE VULGATA, filios Dauidis fuisse sacerdotes. LUTHERVS reddidit: Und die Söhne Davids waren Priester.

Nemo non videt difficultatem, quam ista parit interpretatione. Praeterquam enim quod in Epistola ad Hebr. VII. 13. 14. expresse negatur quemquam de tribu Iudae altari adstitisse, quomodo sacerdotio fungi potuerent filii Dauidis, qui oriundi erant ex tribu Iudae, cum sacerdotalis dignitas tantum tribui Leui, et quidem familliae Aaronis reservata fuerit? Exod. XXVIII. 1. et seq. Num. III. 10. 38. XVIII. 2. 3. conf. Deut. XVIII. 5. 1. Sam. II. 28. I. Chron. XXIV. Ecclesiastic. XLV. 7. 8. Hezrae II. 62. Nehem. VII. 64. Hanc vero legem inuiolabilem fuisse, testantur terribilia Corachi et Regis Uziac exempla

Num.

(c) Bene multa sese animo meo obtulerunt difficultiora loca, quorum explicatio scopo meo aequi inferuire potuisset. Hunc uero locum ideo aliis praetuli, quod eum leui tantum brachio tetigit doctissimus Waltherus in Harmonia Biblica.

(d) Quamvis Lutherus vocem כָּהֲנִים reddiderit per sacerdotes, non putauit filios Davidis fuisse vere sacerdotes, ait enim vir ille immortalis memoriae, filios Dauidis ita fuisse vocatos, quia studuerint apud sacerdotes.

37

Num. XVI. et II. Chron. XXVI. 17. 18. 19. 20. 21. Unde  
Iosephus, Ant. lib. XX. cap. VIII. consuetudinem ac-  
ceptam a maioribus obtinuisse, ait, neminem sacerdotem  
Dei fieri nisi descendenter ab Aaronis sanguine, nec  
eam dignitatem concedi vel regibus oriundis alio genere.

Animaduerterunt hunc nodum interpretes Scriptu-  
rae, eumque variis modis soluere conati sunt.

*Sanctius* hoc in loco subauditum vult notam similitu-  
dinis, ac si dixisset Sacer Scriptor, filios Dauidis fuisse  
quasi sacerdotes, idque dictum putat Iesuita nunc lau-  
datus, quia illos obseruaret et aleret populus.

Alii, nescio, quo fundamento, כהנים pro discipulis sapientum, sibi persuadentes hoc nomine filios Dauidis adpellari, quod frequentauerint scholas sapientum, quos כהנים vocatos fuisse aiunt. Quae sententia ab interpretatione Lutheri supra allata parum differt, quanquam, meo saltem judicio, Lutheri sententia mihi probabilius videatur, quae filios Dauidis כהנים ideo vocatos fuisse vult, quia sacerdotum fuerint discipuli. Verum contextus narrationis docet, filios Dauidis non tanquam sapientum, vel sacerdotum discipulos hic recen-  
seri, sed inter regni principes numerari, uti hoc infra a me demonstrabitur.

*Jacobus Guffetius*, in Comm. L. Ebraicae, p. 366,  
putat filios Dauidis dici כהנים, eo quod ταῖς regi  
oblatis praefecti essent, ac pro populo apud regem fa-  
cerent id, quod sacerdos apud Deum pro populo, dona  
ab hoc oblata illi tradendo; idque sufficere, ait, ad il-  
lam denominationem tropice sic usurpandam. Lectu-  
digna sunt ea, quæ profert vir ille doctissimus l. c. par-

B

tim



tim ad stabiliendam suam opinionem, partim etiam ad impugnandum id, quod olim in animum induxisse fatetur, nempe filios Dauidis sacerdotales functiones reuera fecisse.

Difficultatis huius cardo vertitur in significatione vocis כהן, qua eruta simul explicabitur nodus.

Rem acu tetigisse mihi videntur, qui hoc in loco per כהנים non sacerdotes, sed eximiae dignitatis ministros, vel aulae principes, intelligunt, et verba hebraica: וּבְנֵי דָרְךָ כָהָנִים רְחוֹן ita vertunt: *et filii Dauidis erant primarii ministri, vel aulici.* Nam radix כהן unde nomen derivatur, significare potest ministrare in dignitate, seu cum magnificentia. Ita R. Dauid Kimchi בספר שיטים, seu libro radicum fol. רכט, edit. Bomberg. scribit, radicem עברורה בגדולה כהן notare ministerium in dignitate, seu cum magnificentia, quia כהנים ut ipse addit, ut עברו השם וראשי העם هو עבדו ה' Deo et erant capita populi.

Hoc ministrandi significatu verbum כהן occurrit Esaiae LXI. 10, ubi Propheta nomine Ecclesiae exsultans ob praecedentes promissiones, inquit: *Omnino gaudeo in Jebova, exultat anima mea in Deo meo; quia induit me vestibus salutis, pallio iustitiae amicivit me:* כהן יכהן פאר, id est, tanquam sponsum, qui ministrat ornatum. Non male vertitur τὸ περ ministrat cum magnificentia, cum ornatu, antiquum enim obtinere morem obseruat Ludovicus de Dieu, ut in nuptiis sponsus ministret sponsae, non quidem ut vulgaris minister, sed ut כהן, ut qui in dignitate constitutus est, nam addit vir doctissimus, ornatus suo sponsali indutum sponsae ministrare procum. Ad hunc

hunc quoque Esiae locum recte obseruauit R. Kimchi,  
quod magnum est venire nomine sacerdotii.

Praeterea non desunt viri linguae hebraicae periti,  
qui proprio et vi vocis eum significare volunt,  
qui accedit ad aliquem superiorem. Et hoc quoque  
cum respectu aulici ministri vocari possunt, ut  
pote qui regibus appropinquant.

Porro sub nomine כהן non solum sacerdotes, sed  
quandoque etiam politicos ministros in Sacra Scriptura  
venire liquet ex II. Sam. XX. 26. Ubi Sacer Scriptor Dauidis  
aulani describens, ait: גם עירא חיארי הוות כהן לדור :  
et etiam Hira Jarites erat coben Dauidis.

Hoc autem loco de ministro politico sermonem  
esse liquet 1) ex contextu, nam commate antecedente  
sacerdotum iam facta est mentio, nullaque subest ratio,  
cur Sacer Scriptor Hiram, si sacerdos fuisset, a reliquis  
sacerdotibus sciunxisset. 2) Ex paraphrasi Chaldaica, quæ  
haec verba: הוות כהן לדור ita reddit: הוה רב לדורו:  
erat princeps, vel primarius minister Dauidis. 3) Ex auctoritate  
R. Dauidis Kimchi, qui hunc locum exponit per mi-  
nistrum, magnatem et consiliarium eius: עביד ובעל אצט  
et R. Salomonis Jarchi, qui hunc locum litterali Scriptu-  
rae sensu nihil aliud significare putat, quam quod Dauides  
ficerit Hiram principem ac judicem; aliorum denique  
interpretum, quos nunc tacebo. Accedit 4) quod sa-  
cerdotes non soleant vocari sacerdotes alias cuiusdam  
praeter Deum, hic autem Hira vocatur כהן לדור.

Alia exempla, ex quibus hanc vocis significa-  
tionem confirmare possem, ne justo longior sim, praetereo,  
nunc ostensurus, in hoc nostro II. Sam. VIII. 18.



loco non solum ministros politicos significare posse, sed etiam debere.

Confirmat hanc interpretationem 1) paraphrasis Chaldaica, quae hunc locum ita vertit: בְּנוֹרֹר רַבְּכִין הָוּ filii Dauidis magnates erant. Huic versioni accedit auctoritas R Kimchi, qui per כהנים שרים ותדרים reddit, cf. Salomo Ben Melech in Michlal Joppi fol. 71. col. 4. 2) Confirmatur sententia nostra Alexandrina versione, quae hunc locum ita vertit: Καὶ οἱ ὄντες Δαυὶδ ἀνλάρχαι ἡστῶν, quibus calculum suum adiiciunt Interpretes Geneuenses, D. Calmet, in notis ad h. l. Clericus, Vatablus, Deodatus (e), Osian-der et alii bene multi, quos nunc silentio praetereo. 3) Idem liquet ex contextu; separantur enim Dauidis nati a sacerdotibus, quorum fit mentio v. 17.

Tandem 4) ex ipsa Sacra Scriptura arbitrum profero, simulque occasionem nanciscor utilissimum Rabbinorum praeceptum hermeneuticum exsequendi, qui aiunt: שֶׁתִּהְרִיבֵם הַמְכֻחָשִׁין וְהַאֲתָה וְהַשְׁלִישִׁי בָּא וְהַכְּרִיעַ בְּיוֹתָהּ id est: Si Scripturae duo loci sibi invicem contradicant, tertius interuenit, et praeponderat, seu conciliat illos. vid. R. Salomon Isaac Comm. in Num. VII. 89. Sequamur quae-  
so hoc praeceptum atque euoluamus comma 17. cap. XVIII. I. libri Chron. illico ibi reperiemus loci, quem nunc enucleamus, evidentem explicationem. Fit enim hoc in loco mentio filiorum Dauidis, non tanquam sacerdotum, sed ut ministrorum primariorum, seu principum, qui ad manum regis erant Sacer enim textus habet: וּבְנֵי דָוִיד הַרְאָשָׁנִים לְרַד הַמֶּלֶךְ bri

(e) Qui ita vertit: *Ed i figlioli di David erano principi, i. e. principali Baroni, principi del Sangue.*

bri Michal Jopbi ad II. Sam. VIII. 18, voces explicat per illud I. Chron. XVIII. 17. *fili autem Davidis erant הרשנים לרדת מלך primi ad manum regis, id est, primarii regis ministri.*


Ex his rationibus, quibus demum addi possunt Lex Dei Exodi XXVIII. I. Deut. XVIII. 5. et Pauli effatum Heb. VII. 13. 14, luce meridiana clarius patet, quid hoc loco per כהנים intelligendum, quantique faciendum sit effatum R. Aben Esrae, qui ad Psalmum XCIX. 6. ait, vocem כהן in toto sacro Codice significare ministrum Dei seu sacerdotem,

*Franciscus Caietanus* videtur eo significatu accepisse vocem כהן, ut illa eminentiam in genere notet, dum insignem promissionem Exodi XIX. 6. a Deo Israelitis factam: *וְאַתֶּם הַחֹזֶלִי מֶלֶכָת כֹּהֲנִים* ita interpretatur, *et eritis mihi in regnum inclytum et eximium.*

Non mihi quidem displicet illorum sententia, qui hoc loco per regnum sacerdotum intelligunt regnum sacrum, veri Dei cultui et sacrificiis dicatum, vel tandem sanctum, quoniam tales esse eos oportebat, unde regnum illud sanctum nomen habet.

Immo illam aliam opinionem, quae regnum sacerdotum, vel quod idem est, *regnum sacerdotale*, explicat per regnum potens atque sacerdotium sanctum, quae duo Deus in republica Israelitarum stabilienda pollicetur, non fastidiose rejiciendam esse fateor. Interim tamen aliam nunc proponam coniecturam, quae etsi non ab omni scrupulo vacua esse videatur, non tamen etiam omni verisimilitudine caret, quamque lectoris judicio lubens submitto.


Cum Deus pollicitus est Israelitis, illos sibi fore regnum  
B 3



*regnum sacerdotale*, id factum est non diu post eorum extum ex Aegypto. Constat vero hunc populum assuetum fuisse moribus et institutis Aegyptiorum, inter quos natus atque educatus erat. Quamobrem e re fuisse videtur, ut Deus suam ipsis voluntatem patefacturus, phrasibus a rebus Aegyptiacis mutuo desumtiis uteretur, ut pote quae ipsis admodum familiares erant.

Norunt autem omnes antiquitatum Aegyptiacarum periti, sacerdotes huius populi aenigmatis signis et locutionibus allegoricis omnes sacris suis haud initiatos a clara et distincta rerum sacrarum notitia arcuisse; quod egregie ostensum est a Summe Reuerendo atque longe Doctissimo nostro Theologo, P. E. Jablonski, in Prolegomenis de Religione et Theologia Aegypt. §. LXI. ubi Vir ille Celeberrimus, Sacerdotes verum Theologiae suae nucleus certis tantum atque sacerdotio destinatis discipulis referuare, reliquum vero vulgus fabulis allegoricis, Symbolis obscuris et doctrina pure aenigmatica, audita quidem, sed ut plurimum non intellecta, pascere et re ipsa ludificare consueuisse.

Cum igitur exactior rerum diuinarum cognitio in Aegypto penes sacerdotes fuerit, atque praeter reges, nemo, nisi sacerdos, et ex ipso sacerdotum ordine non nisi pauci selecti, qui hoc beneficio aliis consebantur digniores, ad haecce mysteria, in quibus disciplinae sacerdotales et arcana Theologiae symbolicae explicabantur, admitteretur, exoticis vero vix ac ne vix quidem unquam, certe non ante exantatas molestissimas præparations ad haec sacra mysteria pateret aditus; non sine quadam verisimilitudine conjicere mihi videor, hanc pro-



promissionem Israelitis factam, illos Deo fore *regnun  
sacerdotum*, ex hoc instituto sacerdotum Aegyptiorum  
illustrari posse (f).

Nonne igitur Deus, dum Israelitis ait: *eritis mibi  
regnum sacerdotum*, voluit hac locutione significare, se  
unicuique membro huius societatis, quam regnum su-  
um jure optimo vocat, perfectiorem rerum diuinarum  
peritiam largiturum esse, se mentes illorum diuina re-  
uelatione illuminaturum, uno verbo, unumquemque  
Israelitarum accepturum esse mensuram cognitionis  
theologicae pleniorum Ps. CXLVII. 19. 20. Deut. XXIX.  
29. et hoc respectu fore sacerdoti Aegyptiaco similem,  
qui prae aliis eminentiori doctrina pollebat?

Et vero si quis notitiam rerum diuinarum, qua Isra-  
elitae gaudebant cum Aegyptiorum Theologia compa-  
rare velit, facile sentiet, vel Israelitarum rudiorem de  
Deo cultuque ipsi praestando exactiorem habuisse co-  
gnitionem, quam habuit doctissimus Aegyptiorum fa-  
cerdos.

Coniecturam hanc qualemcumque suffulcire videtur  
Petrus, qui ad hanc Dei promissionem, cuius sensum nunc  
in-

(f) Quamvis arcana haec docendi res diuinis methodus, Mosis  
ætate, non ad hunc gradum, quem infuscis temporibus attigit,  
perducta fuisse videatur; probabile tamen est, sacerdotes in Aegy-  
pto, a primis inde temporibus ad arcanae discipline studia animum  
uum applicuisse, huiusque methodi fundamenta posuisse. Nam ex  
eo, quod Act. VII. 22. Moses, qui filiae Parbonis filii loco erat, in  
sapientia Aegyptiorum institutus esse perhibetur, colligo, tunc  
temporis non cum omnibus promiscue nucleus arcanae doctrinae  
communicatum fuisse. Certe sacerdotes primis iam temporibus ar-  
canam sibi reseruasse scientiam liquet ex Gen. XLI. 8. Exod. VII.  
14. 25. VIII. 7. 18. 19. IX. 11. alias huc spectantes rationes nunc  
tocco,

inuestigauit, respiciens I. Ep. II. 9. Ecclesiae membra vocat regale sacerdotium (g), atque, quod probe notandum est, ipsis hocce praedicatum tanquam incitamentum proponit, ut virtutes praedicent illius, qui eos vocauit e tenebris in admirabilem suam lucem. Ex quo sequi videtur, Petrum per regale sacerdotium, vel regnum sacerdotale intellexisse statum perfectioris cognitionis, statum vocatorum e tenebris in admirabilem Dei lucem.

Quam vero optandum esset, ut qui ad admirabilem illum Dei lucem ex immensa eius misericordia vocati sunt, coelestis huius cognitionis radios undique spargentes, tanto beneficio sece dignos praestarent, ne diuina hac luce neglecta, in pristinas iterum, easque multo adhuc infeliores tenebras, justo Dei iudicio prolabantur !

Illorum id praecipue esse, quibus salutarem doctrinam alios docere publica auctoritate datum est, nemo indubit vocabit. Nos igitur, quibus ex Serenissimi atque Clementissimi Regis decreto, Theologiam docendi in Alma Viadrina extraordinarium munus non ita pridem concessum est, in id quoque omnibus viribus enitemur, ut, quae inter nos magno Dei beneficio fulget veritatis lux, continuo conservetur, atque ampliora ad Dei gloriam Ecclesiaeque commodum incrementa capiat. Ut vero cum officio nostro, tum Maiorum mori satifiat, muneris huius Regia nobis Clemencia demandati auspicia inaugurali oratione facturi sumus, qua, occasione persecutionum, quibus hodie Protestantes in Occitania vexantur, de purioris Theologiae Ellychnio in Gallia fumigante verba faciemus. Ad quam benevole audieram, omnes, quotquot puriori Theologiae cupiunt, ea, qua par est, obseruantia, inuitio.

(g) Secutus est Petrus hoc in loco morem Scriptorum N. T. qui per prudentem indulgentiam, ne in re leui et indifferenti incredulis cauillorum, infirmis vero scandali, ullam ansam praaberent, recepta communiter versioni Alexandrinae se accommodarunt. Nam illa versio כהנים ממלכת reddit per βασιλεον ἐπάτευμα regale sacerdotium, cum proprio vertendum esset regnum sacerdotiale, quod tamen eodem recidit.





3d 6020 II

(2)

ULB Halle  
003 772 209

3



TA 90C

WMA Wits







20.  
DE  
VERA SIGNIFICATIONE  
VOCIS קְרָנָה IN QVIBVS DAM  
S. SCRIPTVRÆ LOCIS  
OCCVRRENTE

PRAEFATVS

MAGNIFICVM ACADEMIAE RECTOREM,  
ILLVSTRISSIMOS COMITES, DIRECTOREM  
PERILLVSTREM, REGIAE VIADRINAE PATRES  
CONSCRIPTOS, PROCERES VTRIVSQVE REIPV-  
BLICAE AMPLISSIMOS, VENERANDOS SACRO-  
RVM ADMINISTROS, COMMITITONES GENE-  
ROSISSIMOS ATQVE PRAENOBILISSI-  
MOS, QVOTQVOT DENIQUE LITTERIS  
CVPIVNT

AD  
ORATIONEM IN AVGVRALEM  
D. VIII. NOVEMBR. MDCCLII. HOR. X.  
IN AVDTORIO MAIORI

BENEVOLE AVDIENDAM

EA QVA PAR EST OBSERVANTIA

INVITAT

JOANNES ISAACVS LVDOVICVS CAVSSE

S. S. THEOLOGIAE D. ET P. P. E.

FRANCOFVRTI AD VIADRVM,  
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI, ACAD. REG. TYPOGR.